# FLORA.

## № 30.

**Regensburg.** Ausgegeben den 10. Oktober. **1865.**

**Inhalt.** W. Nylander: Ad historiam reactionis iodi apud Lichenes et Fungos notula. — A. Jäger: Beitrag zur Laubmoosflora Badens. — Litteratur. Verkauf getrockneter Pflanzensammlungen. — Botanische Notizen.

## Ad historiam reactionis iodi apud Lichenes et Fungos notula. Scripsit W. Nylander.

Frequentia exempla recensui nisus Friesiani continui, qui propositum sibi habet omnia in scientia a me facta diminuere vel denegare; est nisus sine dubio ad gloriam peculiarem conversus. Exemplum tale sistit character texturae anatomicae, qui diverso typo gonidiali in Lichenibus exprimitur (vid. Nyl. Syn. et in Flora 1861, p. 531. et 1862, p. 529—530); de eo charactere in Th. Fr. Gener. Heterol. p. 27, qui libellus a D. von Zwackh (quali judice!) omnino „classicus“ declaratur (Flora 1862, p. 465), legitur: „minus adhuc probata est utilitas, quam de qua (nota) certum quaeamus afferre judicium.“ Igitur quum et quia hic character a me expositus et demonstratus esset, eum „minus probatum“ judicare et „silentio eum praeterire“ libenter convenit. Similiter res se habet cum spermogoniis; in Gen. Heterol. p. 36 de iis dicitur: „nec magni ea duximus.“ Miseranda organa, quae ita displicent Friesio! Simili sensu de *Normandina* scribitur: „genus adhuc incertum, fructificatione vix rite cognita“ (Th. Fr. Arct. p. 256). Vult evidenter D. Fries, ut descriptioni meae fructus Normandinae nulla fides habeatur haud amplius quam ceteris meis observationibus [1]). Exempla talia mire abundant.

1) Memoretur adhuc eundem scriptorem bene et sine ambagibus fateri (in Gen. Heterol. p. 24): inter omnia nostrae aetatis scripta minime nobis placent



Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0467-9

At lux clarior fit, et sperare licet fore ut erroribus et phrasibus inanibus comoediisque stultis sensim admiratores vel asseclae rarescant.

Inde a primis meis scriptis lichenographicis, studia anatomica cum systematicis jungens, semper notas chemicas respexi praesertimque coloris mutationem variam ope solutionis iodi ortam in gelatina hymenea vel sporis vel thecis aut in thallo. In Th. Fr. Gen. Heterol. p. 10 „certo judicio" statuitur „notas chemicas ad systematicum usum parvi vel nullius esse momenti" et p. 4. (et 30) insinuatur „reactiones, quae iodi auxilio conspiciuntur, fallaces atque variabiles comperiuntur" etc. [1]). Semper idem nisus infaustus, in quaque pagina revenions. Numquam quidem ob characterem illum solum, quamvis constantem, distinctiones admisi, haud nescius notae unicae non nimis fidendum esse; at jam post me rever. Anzi etiamsi parum minus Massalongianum quam Fries, colorationi ope iodi obtentae momentum id tribuentem videmus, ut speciem propter solam eam notam distinguere fas habeat (Catal. Sondr. p. 73). Alii simul lichenologi plurimi et optimi perspicere incipiunt auxilium iodi (quidquid contrarium dixerit et judicaverit D. Fries) magni esse ponderis, immo studium Lichenum hodie auxilio eo carere non posse. Ita quidem necessarium est, ut ipse D. Fries eodem (licet forsitan „indignatione") uti coactus sit, tamquam scripta ejus ultima ostendunt; alioquin sane maxime ridiculum esset, ut in descriptionibus characterem afferret gelatina hymenea iodo affectae, si vere eam notam „parvi vel nullius momenti" censeret, et tacere certe praestaret.

Experientia revera tempore brevi docet, auxilium praebere iodum saepissime admodum utile in lichenibus, praesertim inferioribus, examinandis determinandisque. Characterem constantem manifestat, igitur negligi non potest; qui vero vellent, ut id ubi-

---

Nylandri." Hocce indubie „classicum" est et „certum judicium" sinceritate laudanda expressum.

1) Ibidem (p. 4) legitur, inter alia: Apud magnam, ne dicam maximam, partem, de quibus affert Nylander „gelatina hymenea iodo vinose rubens" colorem fuscescenti-luteum invenimus. Vereor autem ne hic adhiberi possint vocabula: eum colorem (fuscescenti-luteum) Fries „nec ullus alius viderit", quae vocabula ei haud ignota sunt (Th. Fr. Arct. p. 243). — Animadvertendi venia detur, etiam in Scandinavia haud nimis raro occurrere *Agyrium rufum*, cui gelatina hymenea iodo vinose rubet; quod, licet sibi displiceat, impedire nequeat D. Fries.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0468-5

que notam determinantem offerret, nimium volunt, neque characteres ulli ita sunt universales. Utilitatis jam est summae iodum, si saepe notis ceteris notam peculiarem addit novam incertitudinemque tollentem. Utile est hoc adminiculum facile, quando differentiam chemicam indicans attentionem vertit inquirendis differentiis organicis, ubi haud mox patent, vel quando differentias organicas differentia chemica addita confirmat. Superfluum sit animadvertere, in certis speciebus variabilitatem quandam eo respectu obvenire haud secus ac idem aliis accedit notis; atque tunc ipsa quidem variabilitas characterem sistit. Quod si in ceteris vegetabilibus (nisi satis raro apud Fungos) iodum ita adhiberi nequeat, hocce ab eorum natura penitus diversa pendet; non enim comparare licet quae nimis sunt inter se dissimilia.

Reactio ea chemica in Lichene vetusto et recente vix discrepans videtur; potius differentia quaedam ab indole vel vi solutionis iodi oritur.

In Fungis autem non semper idem occurrit. Saltem in *Peziza Polytrichi* Schum. [1]) in Fl. Dan. t. 1916, f. 1, in viva et recente gelatinam hymeneam iodo intense coeruleo-tinctam observavi, postea vero in statu omnino sicco eam iodo solum lutescentem vidi. Ceteroquin singularem talem differentiam reactionis desiccatione ortam nullibi conspexi, nec caussae rationem reddere valeo, cur sic statu sicco vel vetusto mutetur natura chemica thalamii.

Semper solas exceptiones sistunt rarae Fungorum species, quarum apothecia (scutellae, patellae aut perithecia) parte quadam hymenii iodo addito coerulee (et saepius leviter) tinguntur;

---

1) Sero autumno supra terram muri inter *Ceratodontem purpureum* prope Helsingfors in Finlandia legi eam *Peziam Polytrichi* Schum., cum icone congruam. — Sporae ejus incolores sphaericae (diam. 0,015—0,016 millim.), primo superficie granulosae. Gelatina hymenea in statu vivo intense iodo coerulescens, post duos vero annos denuo examinata solum lutescens (incolor) addita solutione aquosa iodi. Olim eam perperam habui (in Flora 1861, p. 134) pro „*P. cinnabarina* Schum." a cel. Broome accepi specimen e Wiltshire, sporas sat similes offerens (at diam. 0,016—18 millim.) et superficie similiter subgranulato-inaequales, sed minus exacte sphaericas, apothecia extus pallido-hirta, certe ad aliam pertinens speciem; paraphyses ei articulatae (articulis paucis). — In Rabenh. Herb. Mycol. 310 datur species etiam alia magisque differens a figura Schumacheriana stipite distincto (usque altitudinis 5 millim.), sporis ellipsoideis (longit. 0,018—25 millim., crassit. 0,011—16 millim., levissime extus granulato-inaequalibus); dicatur *Peziza vivida*.



Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0469-3

longe abest quin praebeant modos varios et frequentiam reactionis, quam apud Lichenes inter characteres maxime peculiares solutione iodica prodire videmus. Gelatina hymenea in speciebus pluribus generis *Pezizae* iodo coerulescit. Sic in *P. cochleata* Huds. et *P. violacea* Pers., atque thecae apice summo intensius; in aliis solas thecas, praesertim parte apicali, ita varie coerulescere invenimus, ut in *P. firma* Pers., *P. plumbea* Fr., *P. juncigena* Nyl., *P. undella* Fr., *P. cerea* Sow., *P. repanda* Whlnb., etc. Sic etiam exinde natura Fungorum aliter se habet et typum a Lichenibus diversum ostendit.

---

## Beitrag zur Laubmoosflora Badens. Von A. Jäger.

Seit dem Erscheinen der „Zusammenstellung der in Baden beobachteten Laubmoose" von Seubert (Berichte der naturforschenden Gesellschaft in Freiburg 1860) wurde manches Neue daselbst aufgefunden, was zum Theil in den „Cryptogamen Badens" ausgegeben wurde oder noch der Veröffentlichung harrt. Da ich nun vielleicht auf längere Zeit mein Vaterland verlasse, erlaube ich mir, die von mir in den Jahren 1863—65 im obern Theile des Landes neu beobachteten Moose und Standorte hiemit bekannt zu geben.

*Ephemerum cohaerens* Hpe. In den Rheingegenden von Ichenheim. Oktober 1863.

* *Gymnostomum calcareum* [1]) N. e. H. In Kalkhöhlen am Rhein zwischen Laufenburg und Säckingen. Frühjahr 1865.

*Dicranum fulvum* Hook. Im Walde beim Wiladinger Schloss im Murgthale (bad. Oberland), auch im Albthale bei Tiefenstein. Winter.

*Dicranum longifolium* Hdw. An den gleichen Stellen mit vorigem; stets steril!

*Fissidens incurvus* Schwgr. Auf Kalk in einem Rheinkanale bei Ichenheim, und an gleichen Stellen bei Breisach, Laufenburg und Kehl.

*Fissidens crassipes* Wls. Mit dem vorigen bei Ichenheim. Spätjahr 1863. Auf Gneiss bei Laufenburg. Spätjahr 1864.

---

1) Die mit * versehenen Arten sind in Seubert's Zusammenstellung nicht aufgeführt.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0470-3

# ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1865

Band/Volume: 48

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Ad historiam reactionis iodi apud Lichenes et Fungos notula 465-468